

NUMMI TRIUMPHALES & HONORARIJ,
ORDINVM BELGICARVM PROVIN-
ciarum: cusi, Urbe Groeningâ ad pristinos Do-
minos redire iussâ: Anno Chri-
sti 1594.



Mauritius Nassovius, Coverdâ obsidione liberatâ 21. Maij Groeningam Frisîæ Metropolin, obsidione cingit: cives deditionem negantes machinis quotidie infestat: loca palustria versus Septentrionem pervia reddit: munitiones excitat, quibus civium excursiones impedirentur. Castra denique ipsa à meridie, quâ in Drentam itur, extra teli jactum collocat. Interim Wilhelmus Nassovius cum octo signis peditum, ex legionibus Westfrisîæ delectis, munitionem Auricensem expugnavit, præfidiariorum cæso numero haud exiguo: quæ res maximam in urbe trepidationem concitavit. Mauritius interea valla, fossasque ad urbem promoveret: pluteos vineasque extruere: machinarum bellicarum ingentem numerum disponere: sine intermissione muros, turresque civitatis disturbare, ita ut brevi spatio 18000. majorum globorum in urbem misisse dicatur. Nocte quoque pyrobulos, candentesque pilas in civium ædes ejaculatus est, quibus incendium nonnunquam excitavit, animosque civium magno metu perculit. Hæc autem minimo cum periculo facere potuit, eo quod cives nullum in urbem præsidium admittere vellent: quinque tantum signis peditum in suburbio collocatis: quibus, non nisi vocantibus civibus, in urbem aditus patebat. Quotidianis attamen excursionibus magnâ clade hostium castra affecerunt oppidani, ita ut ordinibus minimè incruenta fuerit huius urbis recuperatio. Cuniculis tandem actis eò deventum, ut multi oppidani pulvere subterraneo incenso graviter læsi, perque aërem disjecti perierint. His urgentibus necessitatibus 22. Julij Vrbs certis conditionibus in statuum Belgicorum manus pervenit.